Universitätsbibliothek Paderborn

# Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum, Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione Excerptæ

**Sargar, Elisaeus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

An apud Lutheranos & Calvinistas detur aliquod Sacramentum. [n.] 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41194**

Visual Library

N. L. reputari poſſint ac debeant lotio pedum Diſcipulorum, qua diſpoſiti etiam intus mundabantur per gratiam, item inſufflatio Chriſti in Apoſtolos, per quam Spiritum S. illis dedit, item verba Chriſti ad Magdalenam & paraliticum, *Remittuntur tibi peccata tua*, item linguæ in Pentecoſte ſuper Apoſtolos apparentes, ac ſignificantes dona gratiarum illis collata?

RESOLUTIO: Licet hæc omnia ex voluntate & beneplacito divino ſignificabant etiam practice gratiam, non tamen ex inſtitutione ſtabili ac duratura, ſed ex mera extraordinaria uſurpatione divina: & ideo additum eſt in definitione Sacramenti Caniſij ly *inſtitutum*.

## CONFERENTIA V.

Circa ſeptenarium numerum Sacramentorum N. L. omnino conveniunt omnes Catholici contra heterodoxos, ex quibus Lutherus ſibi ipſi non conſtat, dum modò unum tantum modò duo, modò tria, aliquando etiam ſeptem admittit: quid ergo? 5.

RESOLUTIO: Probabile admodum eſt, apud Lutheranos & Calviniſtas nullum planè dari Sacramentum. Ita P. Joan. Kwiatkiewiz S. J. Theol. in ſuo faſcino detecto, Decept. 6. Et probatur evidentor: nam in primis quoad Confirmationem, extremam unctionem ac Matrimonium, ipſimet concedunt, de Baptiſmo ait Luther in lib. de Captivitate Babyl.

ſomnium eſſe illam formam, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* cum ſuffi-ciat baptizare *in nomine Domini*: cum ergo hæc forma revera non ſufficiat, utpote contraria illi, quam Chriſtus expreſſit Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, Baptiſmus Lutheri Sacramentum eſſe non poteſt. Deinde in Sacramento Pœnitentiæ mutant eſſentialiter materiam & formam; dum non requirunt *Confeſſionem peccatorum doloroſam*, & ſufficere docent formam, *annuntio tibi dimitti peccata*; cum tamen Chriſtus dederit poteſtatem remittendi peccata: idqúe non pueris aut fœminis, ſed ſolis Sacerdotibus: nec Pœnitentia eorum eſt Sacramentum. Ulterius quia Lutherani & Calviniſtæ veros Sacerdotes non habent, non habentes Epiſcopos à quibus ordinentur: quomodo ergo poſſunt valide conſecrare panem, ac conficere Sacramentum Euchariſtiæ? aut abſolvere Pœnitentem, ergo iterum carent Sacramentis Euchariſtiæ & Pœnitentiæ, denique univerſaliter docent, verba in Sacramentis non debere eſſe conſecratoria, cum intentione conficiendi Sacramentum, ſed ſufficere concionatoria: igitur nullum omnino Sacramentum conficiunt.

At cur ergo Eccleſia Catholica non rebaptizat Acatholicos converſos ad fidem orthodoxam? ℞. quia ſupponit eos fuiſſe baptizatos forma à Chriſto præſcripta, ac cum debita in-

ten-

tentione: quod ſi enim illi conſtaret, aliquem fuiſſe baptizatum in forma Lutheri, *in nomine Domini*, utique eum denuo baptizaret.

## CONFERENTIA. VI.

6. COmmunis eſt quæſtio Theologorum in hac materia, an Sacramenta ſemel valide ſuſcepta, at ſine fructu propter obicem, cauſent gratiam ſublato obice, vel alijs verbis, an Sacramenta informia ratione obicis, fiant formata quando obex tollitur, aut denique, an Sacramenta mortificata per obicem, reviviſcant eo ablato.

7. Reſpondet Patricius noſter Theol. ſacram. p. 1. n. 33. ſibi veriſimillimum videri, præter Baptiſimum, nullum aliud Sacramentum gaudere privilegio reviviſcentiæ, ut ſcilicet recedente obice, reſtauretur gratia ſanctificans. Nihilominus cum commun aliorum ſit.

8. RESOLUTIO: Saltem aliqua, ſi non omnia, fictè ſed valide & infructuoſe ſuſcepta, cauſant gratiam ſanctificantem tunc quando fictio tollitur. Probatur ex communi praxi Eccleſiæ, quæ hæreticos ſemel ritè baptizatos recipit ad Eccleſiam per manuum impoſitionem: atqui Hæreticus (puta adultus) fictè accepit baptiſmum, & absque gratia baptiſmali ſalvari non poteſt, ergo ſupponit talem accipere gratiam baptiſmalem ſublata fictione ſive hæreſi. Ratio autem, quare baptiſmo id conceditur eſt, quia eſt initerabilis: quod ſi